HENRICI BROKES, D.
SERENISS. DVCIS SAXO-GOTHANI ATQVE ALTENBVRG. CONSILIARII AVLICI, PANDECT. P. P. ORDIN. CVRIAE PROVINC. ATQVE SCABINATVS ASSESSORIS
H. T.
ACADEMIAE PROREСTORIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE DECANI

PROGRAMMA

QVO

PARTVM ADVLTERINVM, PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM LEGITIMATVM SVCCEDERE

PROPONIT

DISSERTATIONI INAVGVRALI

DE

MONETARIIS PRINCIPVM ET CIVITATVM GERMANIAE

Haußgenoſſen DICTIS

A

NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQVE

CANDIDATO

IOHANNE GERHARDO MVNCHIO

FRANCOFVRTENSI

IN PVBLICO ERVDITORVM CONSPECTV HABENDAE, ADIECTVM.

IENAE
EX OFFICINA IO. FRIDER. SCHILLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tandem poſt longas meditationes, ſuper hocce iuris capite inſtitutas, defendo, partum adulterinum, per ſubſequens matrimonium legitimatum, ſuccedere. Diu hac de re ſuperiori anno in Curia Prouinciali Ienenſi diſceptatum fuit. Foemina quaedam, poſt relegationem mariti, huic propter adulterium commiſſum ſtatutam, filium adulterinum enixa, deinceps, comperto mariti obitu, adultero nupſerat. Moritur hic quoque, et proximi ipſius agnati hereditatem, excluſo filio adulterino, petebant. Senatus, coram quo lis pendebat, arbitrans, legitimationem per ſubſequens matrimonium ſubeſſe, agnatis repulſam dedit hoc modo: Ob es nun zwar an deme, daß der verſtorbene Hanß Peter Schnorr dieſen Sohn, auch Nahmens Hanß Peter Schnorr, mit Annen Dorotheen, verehlicht geweſener Serbin, unehlich erzeuget; So haben doch beyde, als nehmlich Hanß Peter Schnorr und Anna Dorothea Serbin einander nachhero geheyrathet, mithin dieſen vormahls in Unehren erzeugten Sohn per ſubſequens matrimonium legitimiret; wannenhero Iudicium angeführter, und anderer erwogener Umſtände halber die beyden Imploranten mit ihrem Geſuch gäntzlich ab- und zur Ruhe gewieſen, dem Schnorriſchen Sohne, und deſſen

Digitized by Google

Vormunde erlaubet hat, ſich des Vaters Verlaſſenſchaft behörig anzunehmen, und die Güther ſich ab- und zuſchreiben zu laſſen, welches alſo pflichtmäßig regiſtriret worden. Cauſa per modum appellationis ad Illuſtrem Curiam Prouincialem, quae Ienae floret, deuoluta, opiniones in utramque partem abibant, atque ſatius eſſe ducebatur, ſi lis amicabili transactione, iterum ſuadenda, componeretur. Perfeci illam feliciter, non tamen intermiſi, cogitationes meas in hac re ponere, atque mentem meam fluctuantem determinare. Hoc certum, deciſionem cauſae non in iure ciuili, quo ſoli liberi, ex concubina nati, per ſubſequens matrimonium legitimari poterant, *§. 13. Inſtit. de nupt. l. 10. C. de natur. liber. Nou. 18. c. 11.* ſed in iure Canonico eſſe quaerendam. Scilicet hoc iure legitimatio per ſubſequens matrimonium in fauorem coniugii, qui per *c. 26. X. de ſent. et re iudic.* inſignis eſt, atque propter ſacramenti, quod matrimonio ineſſe creditur, ſanctitatem in omnibus omnino liberis illegitimis, quorum parentes matrimonio iungi non prohibentur, locum inuenit. Tanta enim ex mente ALEXANDRI III. *in c. 6. X. qui fil. ſint legit.* eſt uis matrimonii, ſeu, prouti *in Append. Concil. Lateran.* legitur, ſacramenti, ut, qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur. Inde ſpurii legitimantur. *c. 1. X. eod.* Idem quoque ad adulterinos applico. Obſtare quidem uidetur *c. 6. X. eod.* huius tenoris: *Tanta eſt uis matrimonii, ut, qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem uir, uiuente uxore ſua, aliam cognouerit, et ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, et ab here-*

hereditate repellendus, praeſertim, ſi in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus. Deprehenditur eadem conſtitutio, quae *Alexandrum III.* auctorem habet, *in Append. Concil. Lateran. de an. 1179. apud* HARDVIN. *tom. VI. concil.* his uerbis: *Meminimus, nos fraternitati tuae ſuper cauſa, quae inter P. et R. de quadam hereditate uertitur, quam idem R. nomine Sibyllae uxoris ſuae petebat, tali modo ſcripſiſſe; ut, ſi conſtaret, prout litterae tuae continebant, inter dicti R. patrem, et matrem poſt eius natiuitatem matrimonium fuiſſe contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum eſſe denuncies, et ab hereditate paterna propter cauſam praedictam nullatenus debere repelli. Tanta eſt enim uis ſacramenti, ut, qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium habeantur legitimi. Verum, quoniam P. ultra, quam in litteris tuis continetur, nobis ſignificauit, quod pater ſuus, uiuente uxore, matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreaſſet, et quod in mortem ipſius uxoris mater fuerit machinata, fraternitati tuae etc. quatenus ueritatem rei inquiras, et ſi tibi conſtiterit, quod, uiuente uxore, pater praedictus R. matre ipſius publice abuſus fuiſſet, eum ſpurium, et ab hereditate repellendum, praeſertim, ſi mater ipſius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter ſe legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.* At enim uero illa diſpoſitio, prouti ex ultimis hiſce uerbis apparet, eo tempore, quo matrimonium adulteri cum adultera ſimpliciter interdictum fuit, prouenit. Nimirum olim per antiquos canones eam, quam aliquis adulterio polluerat, matrimonio ſibi iungere non licebat; *c. 1. C. 31. qu. 1. c. 3. C. 31. qu. 1.* quam opinionem ALEXANDER III. retinuit. *c. 1. X. de eo, qui duxit in matrim.* Et licet quidem GRATIANVS prohibitionem iſtam ad caſus promiſſae

Digitized by Google

de futuro matrimonio fidei, aut inſidiarum uitae, coniugi innocenti ſtructarum, iam ante ALEXANDRVM III. reſtrinxerit, *c. 4. et 6. C. 31. qu. 1.* hae tamen GRATIANI opiniones illo tempore nondum talem habuerunt auctoritatem, ut ſecundum ilias Pontifices pronuntiandum cenſerent; FRANCISC. FLORENS *de auctor. coll. Gratiani §. 3. p. 305.* GERHARD a MASTRICHT *hiſt. Iur. Eccleſiaſt. n. 301.* donec tandem INNOCENTIVS III. GRATIANVM in multis ſecutus, hanc doctrinam receperit, atque matrimonium adulteri cum adultera extra caſum promiſſi coniugii, inſidiarumque uitae ſtructarum publice approbauerit. *c. 6. X. de eo, qui duxit in matrim.* Quae cum ita ſint, non potuit non ALEXANDER III. ueterem doctrinam, qua matrimonium adulteri cum adultera pro nullo, atque iniuſto declarabatur, ſecutus, in *c. 6. X. qui filii ſint legitim.* filium, ex adulterio ſuſceptum, licet matrimonium ſubſequatur, propter nullitatem coniugii pro ſpurio habere, eundemque omnis ſucceſſionis incapacem pronunciare, imo ſententiam ſuam particula: *praeſertim,* quae uox non eſt excluſiua antecedentium, ſed potius comparatiua, STRAVCH *Lex. partic. iur. uoc. praeſertim,* WEHNER *Obſeru. uoc.* Sonderlich. ad illum caſum, quo in mortem uxoris prioris alteruter adulterantium quid machinatus fuerit, eo magis extendere. Cum vero poſt INNOCENTIVM III. matrimonium adulteri cum adultera per *c. 6. X. de eo qui duxit in matrim.* extra duos caſus, iam memoratos, legitimum fuerit, non poteſt non filius adulterinus ui principiorum Iuris Canonici, quibus in fauorem matrimonii, et propter ſacramenti, quod ineſſe creditur, ſanctitatem omnes liberi, quorum parentes matrimonio

iungi

Digitized by Google

iungi non prohibentur, legitimari poſſunt, per ſubſequens matrimonium fieri legitimus. Conceſſa filii adulterini per ſubſequens matrimonium legitimatione, effectus quoque huius legitimationis, quo liberi, per ſubſequens matrimonium legitimati, in omnibus iura liberorum legitimorum, ſpeciatim uero ius ſuccedendi conſequuntur, neceſſario concedi debet. Inde filius adulterinus, per ſubſequens matrimonium legitimatus, iure meritoque ſuccedit. Atque eandem mecum ſententiam STRYKIVS *Vſ. Mod. Pandect. Libr. I. Tit. 6.* §. *12.* THOMASIVS *in diſſ. de Vſu practico doctrinae Inſtitutionum de legitimatione c. II.* §. *3. n. 6. et* BOEHMERVS *in Iur. eccleſ. Proteſt. Lib. IV. tit. 17.* §. *20.* defendunt. Ea etiam, quae BESOLDVS *Conſil. Tubing. L. V. n. 54. ſeqq.* adducit, conferri merentur.

Sed his non diutius immoror, potius ad eum, in cuius gratiam haec praemiſſa ſunt, me conuerto. Eſt is

NOBILISSIMVS, DOCTISSIMVSQVE
IVRIVM CANDIDATVS
IOHANNES GERHARDVS MVNCHIVS
FRANCOFVRTENSIS

cuius vitae curriculum, huc usque laudabiliter peractum, iisdem, quibus uſus eſt, uerbis hic communicabo. Ita vero ille:

Ego IOH. GERH. MÜNCH natus ſum Francofurti ad Moenum die VIII. Maii anno CIↃ IↃ CC XXX. Patrem habui IOH. CAROL. MÜNCH mercatorem et ſenatorem, qui vero paucis poſt diſceſſum meum e patria diebus naturae debitum reddidit. Matrem uero ueneror ANNAM SIBILLAM uon den BERGEN. Hi parentes mei honoratiſſimi, ut religionis aliarumque ſcientiarum initiis priuatim inſtruere, curarunt, usque ad a. CIↃIↃCCXLII. quo

quo Gymnaſium patrium frequentare coepi. Quod cum per aliquot annos frequentaſſem, priuata adhuc quorundam Doctorum informatione uſus ſum, usque ad annum CIↃIↃCCXLVIII. quo b. patri placuit, ut me in hanc academiam conferrem. Itaque ad hanc acceſſi, Prorectoris tunc faſces tenente Illuſtri et Excellentiſſimo Conſil. Aul. DARIES. A quo in ſtudioſorum numerum receptus Illuſtrium et Excellentiſſimorum huius academiae Profeſſorum, ut et aliorum Doctorum ſcholas adii, et quidem Excellentiſſimum ac conſultiſſimum ECKHARDVN Heineccii Elementa ſtili, et Nieuportii librum de ritibus Romanorum explicantem, ac hiſtoriam iuris duce Koppio tradentem audiui. Hiſtoriam Europaeam, ut et notitiam rerumpubl. Europae me docuit Illuſtris, et Excellent. Conſil. Aul. BVDERVS. Logicam et Metaphyſicam ex ore Excellentiſſimi REVSCHII percepi. Matheſin tam puram, quam applicatam Vir ſumme reuerendus WIDEBVRGIVS, ius vero naturae Illuſtris et Excell. Conſil. Aul. DARIES me docuit. Quod autem ad Iuridica, in iis BVDEROS, ENGAVIOS, BROKESIOS, MOTEROS et STENGEROS praeceptores habui fideliſſimos.

Hiſce diſciplinis imbutus Candidatus noſter petiit ab Illuſtri ICtorum Ordine, ut ad ſummos in iure honores more, inſtitutoque maiorum capeſſendos admitteretur. Duo iam ſpecimina eruditionis, uirtutisque ſuae in duobus cum eodem inſtitutis examinibus communi approbatione edidit. Reſtat ultimum, quo diſſertationem *de Monetariis Principum et ciuitatum Germaniae, Hauſsgenoſſen dictis*, ſub grauiſſimo *Illuſtris atque Excellentiſſimi Conſiliarii Aulici* BVDERI, *ICti Celeberrimi*, praeſidio publice defendet. Dictus eſt huic ſolennitati d. XX. Martii, quam ut Veſtra, Patres Academiae Venerandi, omnium ordinum Auditores honoratiſſimi, ac Veſtra Generoſiſſimi, Nobiliſſimique Commilitones, praeſentia ſplendidiorem reddere uelitis, meo, Collegiique mei nomine ea, qua decet, obſeruantia rogo, petoque. P. P. in Academia Ienenſi d. XVII. Mart. CIↃIↃCCLI.

(L. S.)

VA 1 1520852